

SUMMARY: The Latin epitaph below was written by John Hoskyns (1566-1638) after the death of Oxford's first wife, Anne Cecil (1556-1588), at Greenwich on 5 June 1588. Anne lies buried in an imposing tomb at Westminster Abbey. The copy of the verses below is taken from Osborn, Louise Brown, *The Life, Letters, and Writings of John Hoskyns (1566-1638)* (New Haven: Yale University Press, 1937) pp. 184-8. The original verses are found in BL MS Cotton Julius F.X. f. 115 [formerly f. 132], and in BL MS Lansdowne 104, ff. 195-8. There are verses by several other authors commemorating the death of Anne Cecil in BL MS Lansdowne 104, as described in the British Library online catalogue:

78. Elegia Latina, Græca, Hebraica, &c. per Dominos Johan. Hoskins, Rob. Moore, Guil. Thorne, Tho. Bastard; Matt. Kinge, Nicol. Love, Anth. Lake, Johan. Favour, Pet. Kekewich, Johan. Hunt, Johan Shaxton, Henric. Marten, Guil. Button, N. Harris, Rob. Biley, Henr. Blaxton, B. Dodington, Johan. Lluid, et Ric. Clerke, in obitum laudabilis Annæ Comitissæ Oxford, Filiæ dilectæ Dom. Burghleii, quam Mors eripuit, 1588.

Anna Vera uxor Eduardi Veri Comitæ Oxoniae, filia Guil Burghlaei summi Angliæ Quaestoris, mulier pietate, prudentia, patientia, pudicitia & in Coniugem amore singulari, principi, parentibus, fratribus & universæ Aulae regiae admodum chara. Obiit in Aula regia Greenwici. Tres filias superstites reliquit.

Anna

Anna soror soror Anna suae charissima Elisae
 Dum fugit hostiles per {mare} {freta} fratris opes:
 Itala naufragio felici littora tangit
 Et potitur Latia numen et exul humo
 Iuvenit et nomen, templum invenit, invenit aras,
 {Pigmalionaeae sic nocuere minae
 {Pigmalionaeis nuper abacta minis
 Sors ea Phoenissae: sed Romae traditur Anna
 Culta suburbanis altera diva locis.
 Namque sacro dum plebs dubitavit monte, Tribunos
 An penum potius posceret, illa dedit.
 Has sua seu pietas seu munificentia divas
 Effecit, certe fecit utramque deam
 Nec satis esse deas, voluit quoque fama Perennas
 Addere, ne titulis posset obesse dies.
 Tertia si nostro nondum cognoscitur aëro
 Anna, poetarum nunc ego pace canam,
 Non hanc suppeditant vatium mihi somma: Vera est:
 (Id quoque quod verum est esse perenne solet.)

Sive amor in reliquos ab eodem stemmata natos
 Efficiat numen, sive benigna manus;
 Quin Verae fers thura Deae? Nam fratribus eius
 Notus amor satis est, pauperibusque manus.
 Scilicet Anna Dea est: nondum tamen Anna Perenna est:
 Vita dare id nequii, mors id honesta dedit.
 Exulat a patria veluti Phoenissa, simulque
 Invenit exilio gaudia vera suo.

Vera

Vera fuit: satis hoc: nec fas superaddere, falsum
 Quicquid id est vero quod superaddis erit.
 Et tamen insignis sub Verae nomine splendor
 Conditur & plus quam Penelopea fides.
 Penelopen etenim potuit locus ipse pudicam
 Reddere & absentis cura metusque viri.
 Thracis equi terrore animum tenuere pudicum,
 Et referens madidas Hector ab hoste manus:
 Et Laestrigoniae memorata pericula terrae
 Atque premens rabidos Scylla proterva canes:
 Oraque Cyclopi crudo eructantia tabo
 Semibolosque pedes, semipedesque bolos.
 Et Circe et plures quam finxerat illa figurae
 Sollicitam nuptae continuere fidem.
 Et merito: sed quae gaudet praesente marito,
 Et facie fruitur non fruitura toro.
 Haec si casta manet votis operata pudicis,
 Continet haec omnis unica Penelopas.

Uxor Eduardi Veri Comitum Oxoniae.

Dat Comes a nostris socium: tibi nomen Athenis
 Ingenii Actaeas tu superaddis opes.

Filia Guilielmi Burghlaei summi Angliae Quaestoris.

Cui Deus hanc terram thesaurum credidit orbis,
 Et cui thesaurus haec quoque terra suos,
 Qui fit ut amittas hanc (prudenter) gemmam?
 Scilicet illa Dei non tua sola fuit.
 Hanc dedit hanc rapuit Deus, aequum fecit uterque
 Tu quod habes grates, iusque quod ille suum.

Mulier pietate

Quae superis dignam te fecit, & abstulit istinc,
Plura mihi dolor hac de pietate loqui.

Prudentia

Fata Sibylleum pectus tribuere, sed eheu
Fata Sibyllaeos non tribuere dies.

Pudicitia patientia & in Coniugem amore singulari

Fida viro (licet hoc mihi dicere) vera fuisti,
Caetera mitto satis nota, probata nimis.
Haec tua posteritas ditum est, quando putabit
Nemo suum laudi crimen messe tuae.

*Principi, parentibus, fratribus & uniuersae
Aulae regiae admodum chara.*

Quae nunquam nocuit sciens amicis
Et sueta est inimicum habere nullum
Omnes illa sciens volensque amicos
Laesit, nempe sciens volensque obivit.

Obiit in Aula regia Greenwici.

Quo Regina loco nata est & mortua Vera,
Hic satis absque suo nomine notus erit.

Tres filias superstites reliquit.

En Veri et Verae, Jovis Eunomiaequae putaris
Tres natas totidem credideris Charitas
Vatibus hinc hinc est quod gratia nulla supersit
Hinc est carminibus quod gratia iusta negatur
Tristantur Charites Occidit Eunomia.
Calliope his inquis nulla est in versibus erras.
Ipsa est, quam raptam defleo, Calliope,

vel sic

Par sine Calliope numeris haec verba ligari
His ego Calliopen occubuisse fleo.

Qui doctis oculis soles
Coeli convexa tueri
Accipe nunc quare latitarit septima Pleias?
Scilicet hoc *quare* latuit quoque saeculo priori.
Atlantis illa filia est. Atlantis at Britanni.
Polus hanc nec ante texit, nec enim polus habuit.
Sed illa fecit ut Britanniae solum
Non invideret Pleiadas suas caelo.
Tanta coruscantis gloria lucis erat.
Cladis Hispanae tamen illa nuper
Abit ad superas nuncia sedes.
O quam nunc vereor ne placeat Jovi
& ne recursum protervus
Invideat teneatque caelo.
Digna quidem caelo est Atlantis, dignus et Atlas,
Onus ille grande regni validis tulit humeris.
Feretque spero longius: diesque quos negavit
In terris natae, volet addere Juppiter parenti.

Arguis obscurum verbis qui struxerat aram?
Nimirum lapidas debuit ille loqui.
Ara quidem non est tamen aram carmina credunt,
Cernis enim ut spreto huc ordine conglomerent,
sive ita
Spectarunt aram versus, fierique putarant
Sacra, & cuiusvis ordinis irruerant.
Ne lege, nam flebis, dubitas? praedico ego, flebis,
Nec siccis oculis ista videre potes.
Nam tu materiam si non fles, carmina flebis,
Condidimus vitiis carmina flenda suis.

V.M. Pergamam
Ioh. Hoskins.